



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

Pars 1. Quibus horis, ac te[m]poribus orandu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

## CAPVT VII.

EXERCITIUM  
REGVLAE VII. ET EX  
PARTE OCTAVAE.

De matutinis, & vespertinis preci-  
bus, deque oratione vocali  
& mentali.

## PARS PRIMA.

*Quibus horis, ac temporibus orandum  
in primis sit.*

**O**RANDVM esse manè, meridiè, &  
vesperi, docet Propheta Regius: *Ve- psalm. 54.*  
*spere, inquit, manè, & meridiè narra-*  
*bo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.*  
Matutinum quidem tempus orationē po-  
stulat, vt primi mentis nostræ motus con-  
secrentur Deo, neque vllius rei curæ antè  
aditum ad nos demus, quàm nos in cogita-  
tione de Deo oblectauerimus, sicut scrip-  
tum est in Psalmis; Memor fui Dei, & dele-  
ctatus sum. Quocirca B. Basilius: *Neque D. Basilius*  
*corpus in regulis*  
*fusus disputatis, interrogat. 37.*



corpus prius ad functionem muneris moueamus, quàm illud fecerimus, quòd ibidem dictum est: Orabo ad te Domine, manè exaudies vocem meam. Manè adstabo tibi.

**D. Basil.**

**ibidem.**

**Lib. de meditatione.**

Meridie, quæ est hora sexta, orandum est, exemplo Sanctorum ait B. Basilus, vt liberemur ab incurfu, & dæmonio meridiano: Deinde quia ea hora, ait B. Athanasius, pependit filius Dei in cruce, idè cum psalmis, ploratu, & supplicationibus orandum est.

**In Danielem.**

Præterea hora sexta, vt notat B. Hieronymus, volens B. Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum.

**B. Basil lo  
es supra cit.**

Vesperis verò completo iam die, pro ijs omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciter ve nobis euenerint, gratiarum actio succedat; eorum quæ, quæ vel per consensum, aut secus contra animi sententiã prætermissa sint, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit, verbis, operibusve, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita, veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterum euitanda, valdè utilis est præteritorum consideratio. Idcirco Dauid dicit: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Deinde sequetur petitio, vt quies, quam sumus capta



ti, inoffensa, & ab omni perturbatione, ac vitio sit munda, & libera. Hæc omnia totidem verbis B. Basilius.

PARS SECUNDA.

*Exercitium matutinum.*

**V**bi primùm manè euigilamus, cauendum summoperè est, ne primitias cogitationū alius præter Deum habeat. *Orandum manè euigilamus*

Muniet itaq; se primùm Sodalitatis signo sanctæ crucis, dicetq;: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amē. Benedicta sit sancta, & indiuidua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita secula seculorum, Amen.

Dum corpus vestitur, atque componitur, dici potest hæc breuis oratio: In nomine Domini nostri Iesu Christi surgo, qui me redemit suo pretioso sanguine: ille me *Dum vestimur.*  
 ✠ benedicat, regat, custodiat, & cōfirmet in omni bono opere, hodiè, & quotidie, & post hanc miseram vitam, perducatur me in vitam æternam, Amen. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum, pietate superna, hoc die illumina, custodi, rege, & guberna, Amen.

Vsurpatam illam ab antiquis Patribus, dæmonis abrenunciationem vestitus usurpare Sodalitatis poterit, signo sanctæ Crucis se signans. *Post vestitum.*

Abre-